

Q. D. B. V.

AD

PARENTATIONEM

WINCKLE-
RIANAM,

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

d. 29. Maji, MDC LXXXVII.

habendam

OMNES LAUDATISSIMI HUIUS INSTITUTI

FAUTORES

decenter & officiosè invitat

CHRISTIANUS WEISE, RECT.



ZITTAVIÆ,

Typis Michaelis Hartmanni.



Um' ad me devolvitur Parentatio Winkleriana, præscriptionem aliquam requiri video, quæ laborem hunc meum publice commendet. Ac commode quidem in manibus versatur liber curiosis nuper hominibus expositus de **MEDICINA MENTIS & CORPORIS**: quem vel ideo magnifacere possunt eruditi, quod Maximo Regi fuit inscriptus, quod apud Hollandos in aperto mundi theatro fuit excusus, quod Auctorem deniq; habet curiosis undiqvq; Societatibus probatissimum. Etsi autem sub literis, ut loquimur, initialibus dissimulare nomen voluit Scriptor celeberrimus: Hollandiæ tamen & West-Frisiæ Status in privilegio suo Virum nominant Generosissimum, nostræ Lusatiae, nostræq; huic viciniae sic concessum, ut ad nos aliquanto propius pertinere videantur laudes, quas-cunq; ab aliis sive provinciis sive nationibus decerni subinde cognoscimus.

Eqvidem qui Mentis Medicinam nominavit, sub glorioso hoc caractere voluit intelligi Logicam, cujus auxilio præparatus animus ad modum sciendi, h. e. ad faciliorem Disciplinarum tractationem, progreditur. Tantoq; magis me afficit extraordinaria quidem, & ut primum apparet, à Scholis nostris diversa methodus, quod mihi, sive docenda esset Logica, sive reliquis Disciplinis applicanda, non pauca placuerint ex iisdem fontibus deducta. Nam ut dicti constet veritas, dum primum pag. 20. illos tolerare non vult Philosophos, qui *Grammaticales* potius essent quàm *Reales*, quiq; non nisi nudos jactare terminos soleant: id mi-

686
mihi sic probatum fuit semper, ut Logicam quoque dividerem in
duas partes, quarum altera Propositionem, Syllogismum, Termi-
nos simplices & philosophicum vere Lexicon exhiberet; altera
vicissim exponeret, quantum mentis operationes applicari pos-
sent ad reales Disciplinas, sicubi quid cognosci & demonstrari,
postea per discursum & interpretationem illustrari, per disputati-
onem denique ab heterodoxorum calumniis defendi deberet. Por-
ro quod p. 49. ad veritatis solidam cognitionem requiri statuit *De-*
fnitionem, unde primus nascitur rerum conceptus, *Axiomata*, quæ
veritates continent à definitione deductas & demonstratas, *The-*
oremata, quæ veritatem è diversarum definitionum collatione re-
sultantem exprimunt: ego quoque cognitionis media voco Defini-
tionem, Divisionem, Demonstrationem, & quam sine erroris me-
tu procedi possit in explicandis veritatibus maxime præcipuis, in
Compendio Juris naturalis, Institutionibus Oratoriis nuper edi-
tis annexo, declaravi. Imo cum laudatissimus Auctor in declaran-
do Theorematum processu, quantum ea res valeret, non solum
in Mathematicis & Physicis, sed in Politicis quoque, deducit, p. 115.
expresse fatetur: *Si cuiquam circa rem quandam procurandam nego-*
tium quoddam suscipiendum incumbat, is hoc sibi ante omnia præci-
puum duxerit, ut probe perpendat singula, quæ ad hunc effectum pro-
ducendum conjungantur: veluti ut propriam naturam & dexteritatem,
num ea rebus gerendis sufficiat, absque ullo affectu propriæ persone
blandimento candide exploret: tum ipsius negotii suscipiendi naturam,
seu potius Objecti, circa quod negotium illud versatur, num sibi sit per-
specta, aut ejus notitia brevi acquiri possit &c. postea frequenti cum iis
conversatione vel ex aliorum, qui eis familiariter usi fuerunt, narratis
sibi potest, innotescere: loci denique, regionis, aule &c naturam, ubi res
gerenda, & id genus alia. Quibus verbis mirifice confirmat, quod
in Statistica mea, quo nomine designare volui tertiam Politices
partem, de mediis Summi Boni civilis, tres commendo regulas:
Nosce teipsum, Nosce personas, Nosce negotia. Plura nominarem,
quæ repetitam lectionem mihi reddiderunt jucundiorum, si pagi-
næ permitteret angustia. Sic autem cognovi, simplicem sem-
per esse veritatem, nec minus simplicem & uniformem esse viam,
quæ veritatem assequimur, si vel maxime diversa methodi facies

Non pauca sectarum nomina constituere passim soleat. Sed unum
tamen est, in quo videri queam diversissimus. Is enim in dete-
gendis veritatibus commodissimam hanc agnoscit viam, si pri-
mum experiamur mathematica, quorum veritates simplicissimæ
sunt & evidentissimæ; succedant physica, donec ab his sensibili-
bus progressus fiat ad moralia. Ast ab ea procedendi felicitate
multum me dimovet auditorum meorum conditio. Ubi enim ad-
scribere Scholis non licet: *ἔδειξ ἀγεωμέτρης εἰσὶται: neq;*
multum occupari physicis quæstionibus volunt, qui vel Theolo-
giam, vel Jurisprudentiam præ oculis habent: aut desperandum
fuerit de veritate, aut ex alio capite dispiciendum de princi-
piis æquè certis. Ista vero videmur reperisse, quæ, si non ho-
minibus universis, Christianis tamen, quales sunt auditores no-
stri, sufficiant. Etenim à primis unguiculis instillatur doctrina
catechetica, ut nemo dubitet, vera esse, quæcunq; DEUS revela-
verit. Inde si primam hanc assumamus veritatem, dici non po-
test, quantas in materia virtutum & consiliorum politicorum de-
ducamus veritates. Neq; putidum erit hanc adhibere verita-
tem negotiis humanis & civilibus: quippe quod sufficit rebus æ-
ternis & cœlestibus, quarum multo nobilior est conditio. Quin
& si libeat gentilium habere curam, quibus forte veritas nostra
minus fuerit probata: juvat tamen ex hac norma primum judi-
casse rationis & intellectus rectitudinem, cujus in corrupta hac na-
tura vix absoluta est securitas: cum pleriq; Gentilium Philolophi
declinare vix potuerint *πρῶτον* aliquod *ψευδος*, unde postmo-
dum infinitas suas falsitates derivarent. Adde, quod hic intel-
lectum invenimus minus otiosum, si primo & indubitato princi-
pio statuatur Philautiam, seu desiderium perpetuum fruendi bono
sibi convenientissimo. Sed repetere non libet, quæ sic in allega-
to Juris naturalis compendio credimus expedivisse, ut libero
nunc tramite liceat pergere ad omnes Virtutum moralium regulas,
imo ad ulteriora justii & æqui theoremata. Cæterum qui diver-
sis uti videntur principiis, quod attinet materiam; eundem tamen
procedendi modum, h. e. eandem usurpare queunt Logicam. Quæ
certè causa est, cur denuo fatear, Viri incomparabilis doctrinam
de Mentis Medicina vario mihi nomine charam libentissimo per-
lustrari animo, quod in eadem meditationes meas Logicas, luci
ali-

aliquando publicæ committendas videam confirmari, ac spes mihi enascatur ulterior, forte, ut in hodierna philosophantium luce conspirare cum omnibus lectis queant veritatis amatores, imo jam inveniunt concordia solidissimum fundamentum, si quivis ad alterius captum sua principia discat applicare. Sed alia quoque sunt, quæ nunc nolim omittere. Cum enim ad genuinam mentis medicinam multum conferre videatur educatio, cujus consuetudo plerumque abire solet in alteram naturam: id etiam sedulo agitur, ne absint regulæ manuducendis à prima statim ætate pueris perquam convenientes. Unde, si potiora excerpamus, negotium certe sumus facturi ab ista quidem scriptione tanto minus alienum, quo tertius expressa testamenti Winckleriani verba nos admonent, dirigi debere singula ad juventutis meliorem fructum. Et operæ fortassis pretium fuerit, legi talia ab illis, qui vel libri copiam non habent, vel per negotia legendo ad hunc locum progredi vix sustinent. Ea saltem cautione, ne ad omnes omnino pueros pertinere credant, quod de melioribus, in statu lautiori positus, iustaque animi indole instructis intelligi debet. Dum igitur, quid pueris & adolescentulis conducat, enarrare statuit, primo postulat, *ut quæ discenda sunt, sæpius repetantur*: ea tamen cautione ut dispiciatur, *non quam sæpe, sed quam bene* repetitio hæc institui soleat. Nam si quis rem minus recte comprehensam absente Magistro velit repetere: quod Musicis, Saltatoribus, Scriptoribus quam est familiare: nihil aliud sequitur, quam è crebris his actionibus pessimum conciliari habitum, cui superando majoribus postea conatibus opus est. Deinde svadet, *ut discenti non quidem nisi utilia, interim tamen optima non statim à principio tradantur: si vel maxime discens subinde credat optima esse, quæ nunc proponuntur*. Ratio est in promptu. Nihil enim magis excitat studiorum jucunditatem & constantiam, quam si bonis jam cognitis semper succedant præstantiora; ac adeo dum posteriora comparantur cum prioribus, nova enascitur diligentia necessitas; cum ex adverso si meliora jam innotuerint, parum inclinaret animus ad humiliora: quod experiuntur Oratoriæ Studiosi, ad meliora Taciti vel Curtii præcipites rapti, antequam in potestate haberent Grammaticam. Sane coqui consumptis per priora convivium ferculis nobili-

bilionibus, exiguam ineunt gratiam, si parcius & sordidius coenare suos jubeant. Tertium consilium est: *non omnia discipulo per Magistrum ostendenda esse, sed tantum in aliqua scientia aliquo usque progrediendum, talia videlicet solum exhibendo, quibus notis reliqua discipulo, si bonos hac de re libros evolventi laborem in se suscipere velit, statim patent.* Prudenter enim coniecit, viæ duces esse Præceptores, qui discentium itinera dirigerent, non ipsos viatores, qui discipulorum loco totum opus absolvere possent: inde pulchrum esse privata quandoque indultia probari juvenum vires, ne dum à Præceptore semper dependerent, sibi sapere nunquam discerent. Id ipsum vero me adduxit, ut sæpe Auctores dimidiam partem absolutos, postea negligerem: quippe quibus nullum erat discendi desiderium, ne obtrudi quidem debebant pauca ista; quibus vicissim præsentissima adfuerat diligentia, jam insedisse credebatur aliqua dexteritas, ut suis aliqua viribus committere possent. Teneriores autem quod attinet pueros, ab iis requirit primùm *ut nunquam patiamur eos esse otiosos, sed statim ab incunabulis aliquid habeant, quod manibus tractent, quo delectentur, quo ludant.* Sic enim imaginatio semper est occupata. Licet autem pueri, qui semper aliquid agere cupiunt, omnia attingunt, omnibus se immiscent colloquiis, omnia intuentur &c. ideo damna sæpe faciunt plurima, non quod mali sint, sed quia prudentiæ defectus adest: experientia tamen docuit pueros in hoc genere petulantissimos, studiis postmodum applicari quam feliciter: cum vicissim tardi & quieti, quorumque probitatem admirati fuerint Parentes, æque felicem successum non experiantur. Deinde, *ne multum cum aliis puerulis conversentur, sed cum adultis, cum præditiis iudicio, cum moratis &c.* Nam infantia perpetuo trahitur imitandi studio: ac proinde si bonis subinde impressionibus imbuatur imaginatio, fieri vix potest, quin è radicibus ita positus melior enascatur planta. Quemadmodum Parentibus non indecorum est, provocatos ad colloquia filiolos, quicquid interdum pueriliter peccent, ad sublimiora sensim provocare. Tertio *ut instilletur obsequium non tam per metum & tristitiam, unde veniat obsequium servile, quam per amorem, qui pariat obsequium liberali animo dignum.* Sane qui tam felix est, ut honoris aliquo stimulo tactos pueros credere jubeat, incivilitatis turpissimam notam

tam

tam incurrere, qui nesciat obedire superioribus, latiore quidem
senferit educationis curam, quam si verberibus & cominationibus
discendi palæstra perstrepat. Ulterius svadet, ut permittente ima-
ginatione, post ordinaria, quæ pueri solent communiter doceri, ea sint
precipua, quæ sensus admodum oblectant, veluti sunt delineandi ars,
faciles praxēs geometricæ, ludicra optica, fortificationum delineatio-
nes, perspectiva notitia, tabule geographicæ pulchris coloribus illumi-
nate, mapparum talium consiciendarum ratio, delineationes horologi-
orum gnomonica, curiosæ experientie physica, libri curiosis Schemati-
bus urbium, animalium, machinarum &c. adornati, libri historici,
imprimis nostri temporis historias describentes, narrationes jucunda.

Addit & hoc, si corpus aliquanto agilius fuisset reddi-
tum, id mox bonis asvescendum exercitationibus. Nam qui corpus
habent ad plurimas actiones aptius, credibile est, mentem habe-
re ad plurima cogitanda aptiorem. Ita autem pergit: Nescio an
ex omnibus exercitiis tantulæ ætati convenientibus utilius quid & ju-
cundius sit **ARTE SALTANDI & MUSICA**. Saltatio enim id
corpori conciliat, ut omnes actiones majore cum venustate & libertate
fiant, ac proinde ut agiliores jam facti alia exercitia vehementiorem
exigentia motum, suo tempore, multo facilius & perfectius nobis, si qui-
dem placeant, acquiramus quàm si hæc ars non antecessisset. Ut ta-
ceam nihil esse conducibilius sanitati corporis motione tam conveniente,
quæ totum corpus quasi æqualiter afficit. Est autem nihil verè aptius
ad exhilarandum animum musica: ea quippe nobis statum animi vere
tranquilli, in quo nihil quod dissonum, sed omnia quadam consentiunt
harmonia ad vivum, representat.

Exscripsimus ista, quod pace Generosissimi Auctoris fa-
ctum sit, tum ut reliqui consiliis non contemnendis vel calculum
adjiciant, vel iudicio & experientia succurrant, tum ut excusatio-
rem me habeant, si qua videant à me observari his regulis maxi-
me congrua. Quantum enim laborem, ut Auditores olim mei à
curioso Præceptore se dimissos gaudeant, malim cognosci ex eo-
rum iudicio, quam è præcipiti meo præconio.

Interim tempus est, ut eo progrediamur, quo nos scri-
bendi causa præcipue ducit. Dici aliqua debent ad rem litera-
riam maxime pertinentia: taliq; officio intra duodecim annos
ter & decies mihi defungendum est: quod hoc spatio Masco ter,
Koh.

Kohlio sexies, Winklero quater solennia iusta solent exsolvi. Ne itaq; meos Auditores horulæ spatium impendisse pœniteat, subinde placet argumentum huic statui commodum, cui spectatissimi Testatores voluerunt etiam post mortem esse commendati. Ac proinde ad diem crastini, quo Festum Corporis Christi, quod nominamus, incidit, finitis in Templo sacris, dicere decretum est de INDUSTRIA discentium PRIVATA, non quam Præceptores horis, quas vocant, privatis sive privatissimis exigere solent, sed qua quisq; suus evadit Præceptor, ut repetendo, legendo, imitando suas vires non modo probet, verum etiam confirmet. Oppositum hoc argumentum est ineptæ hominum persuasioni, qui tum non pueros saltem, quod consultissimum est; sed provectiores etiam juvenes suo satisfecisse credunt officio, cum à primo diluculo vocati ad Magistros, continuo scribendi audiendive labore distrahuntur, donec ad serum hesperum affulgeat relaxationis spes. Cum ex adverso qui compendiosa manu ductione paucis horis usi, domesticam suam & secretam experiuntur diligentiam, successus habeant multo feliciores. Nam id ego semper statuo, nullius pretii esse Studiosum, qui suo Marte nihil addere conetur studiis Præceptorum. Sed de istis plura dicentur, cum in auditorio convenerimus. Cui operæ, si qui ex literarum Patronis & Fautoribus suam præsentiam indulgere fuerint dignati: faxo, ut intelligant, nec ingratum me esse, nec immemorem, quoties ordini Scholastico favor aut benignitas demonstratur. *Scribeb. è Gymnasio*
d. 28. Maji 1687.

